



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam Christi discipulis conspecti. Ode Dicolos Distrophos LXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam Christi discipulis conspecti.

ODE DICOLOS DISTROPHOS LXVI.

IMPROVISA simul nigro lux ignea celo
Fulguris emicuit:
Turbatos horrore animos hiemisq; malignæ
Nubibus assiduis
Exterret, trepidosq; oculos præstringit, & acri
Lumine saepe ferit:
Ut quaquam certus radianti ex æthere fulgor
Sensibus incubuit;
Obtenebrata tamen stupefactaq; lumina tristis
Tempora noctis agant,
Non secus occisi tempestas dura magistri,
Exanimisq; metus
Discipulos tristes effecerat, ut neque certis
Visa oculis Domini
Vel species vel verba novam testantia vitam
Perdoceant pauidos.
Non haustu mens arcta hominum comprehendere primo
Munera tanta valet.
Illa tamen seu tarda putes ignarave rerum,
Cordave dura nimis
Multiplices usus, ventura in secula mundo
Expediere boni.
Nam quicquid fidei obicium errorq; metusq;
Ingenium vel inops,
Impietas, & suspicio male credula veris,
Vel dolus illaqueans;
Omnia præfenti exemplo, iam testibus illis
Exuperata iacet:
Nec quicquam reliquum dubij est mortalibus ultra,
Credere quin valeant
Quicquid prisca almo adscripsere oracula Christo,
Quicquid Apostolica.
Folices adeo, dubio quos exiit omni
Sæpe oculata fides.
Dicta Dei sed qui credit, felicior ille est,
Nec petit inspicere.

VERITAS SPECTATISSIMA.

*Non viuum dubitate ultra; sed credite, vobis
Posse dari per me vincere mortis opus.*



CHRISTO VIVEN. PERP. OMN. DOM.
APPELL. S.